# DE HAEMATURIA DISSERTATIO PATHOLOGICO-THERAPEUTICA QUAM...

Gaetano Faini, Ferdinando De Cattanei di Momo



1

51

# DE HAEMATURIA

*Dissertatio Pathologico-Therapeutica*

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

PERILLUST. DIRECTORIS AC PRAESIDIS FACULT. MEDICAE,

SPECTABILIS D. DECANI,

NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

UT DOCTORIS MEDICINAE LAUREAM CONSEQUATUR

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

*AUSPICE*

**D. FERDINANDO NOB. DE CATTANEI DI MOMO**

CHEMIAE P. O.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

publicae disquisitioni offerebat

**PAULUS CAJETANUS**

EX BRIXIA





*TICINI REGII*

Ex Typographia Bizzoni

1847.

# PRAEFATIO.

Pro inaugurali tentamine de *Haematuria* disserendum suscepi, quae morbom sistit infrequentem quidem, nam celeberrimus Johannes Petrus Frank sex tantummodo casus observasse testatur intra 4000 aegrotos in Instituto Clinico Ticinensi decennii spatio collectos, unum solummodo inter 1913 in Instituto Clinico Windobonensi curatos, nunquque solum vita hoc morbo functum in eodem nosocomio intra 13647 aegrotantes, verum gravem admodum, et curatu difficillimum, et saepe saepius aleae plenissimum. Hae itaque circumstantiae non inutile fore mihi suaserunt quaecumque in auctorum praestantiorum operibus de ipso morbo diffusa inveniuntur, in unum colligere et publici juris facere, nonnullas passim proprias animadversiones adjicendo. Me non latet pauca a me expectanda esse; optimo tamen voluntatis nisui benigne indulgeat lector, viriumque defectui parcat: feci quod potui, faciant meliora potentes.

*Morbi definitio, synonimia, divisiones.*

*Haematuria*, αἱματουρία, a graecis vocibus αἷμα, *cruor* et οὐρέω, *mingo* originem ducit, profluvium sanguineum costituit ab organis urinariis prodeuns. *Mictus sanguinei, mictus cruenti* nomine passim ab auctoribus insignitur; *haemorrhagia ex viis urinariis* ab Hoffmanno nuncupatur; *orina di sangue, piscio sanguigno* apud Italos, apud Gallos *pissement de sang* audit. Quaecumque autem harum denominationum adhibeatur, nos pro haematuria intelligimus » vel sanguinis sinceri, plerumque liquidi, in- » terdum grumosi, polyposi, vel urinae cum » cruoris, nunc pauci, nunc multi, nunc pel- » lucidi, et pulchre rubentis, nunc obscuri, » subatri, saniosi, nunc fere coacti, portions » remixtae ex propriis receptaculis proflu- » vium (1) «.

Sanguis autem qui ab urinariis viis cum, vel sine urinis evacuatur, ex diversis officinae uropojeticae partibus originem ducere queit, a renibus, videlicet, ab uretheribus, nec non a vesica. Exinde prima scaturit hujusce hae-

(1) *J. P. Frank Epit. de cur. hom. morb.* t. 6. p. 221.

morrhagiae distinctio, in *renalem* nempe, *urethericam*, et *cysticam* seu *vesicalem*. Ceterorum porro ad instar morborum vel a causa in organa oropojetica primitus agente profluit mictus cruentus, et *hydiopathicus* sive *protopathicus* est; vel ab aliorum viscerum adfectione procedit, et *symptomatica* sive *deuteropathica*, vel quidem *sympathica* haematuria habetur. Protopathica *localis* quoque nuncupatur, symptomatica *secundaria* dicitur. Accidit interdum ut, sanguinis profluvio per urinarias vias contingente, morbi nonnulli, qui altiorem attigerant gradum, vel in melius abeant, vel perfectam etiam solutionem assequantur, talique ratione *critica* haematuria evadit. Nec desunt exempla, in quibus ad determinatas periodos revertere consuescit, *periodicam haematuriam* praebens. Modo praeterea incedit hic morbus cum adaucto partium, in quibus obtinet, vitali excitamento, modo sub opposita conditione evolvitur; talique ratione mictus cruentus, docente perillustri Boyer, vel *activus* est, vel *passivus*, vel, ut verbis utar praeclarissimi J. P. Frank *energicus* aut *adynamicus*.

Hae sunt potissimae morbi, de quo disserimus, divisiones. Causas autem unde procedere potest, perspiciens, clarissimus Sauva-

gesius plures atque plures admittit illius species, quae ad sequentes reduci queunt:

1. *Haematuria spontanea*: a sanguinis in renibus congestione procedens, utplurimum, nisi modum excedat, salutaris. Ad hanc pertinent *mictus cruentus vermiformis* Wincleri, *lumbricorum mictus* Plateri, *mictus cruentus menstruus* Brassavoli, *mictus cruentus simplex* seu *spontaneus* Junkeri.

2. *Haematuria violenta* — e vomitu, equitatione, ictubus, lapsu etc.

3. *Haematuria deceptiva* — Morbus qui sub hac specie recensetur non est vera haematuria, nam urinae sanguine minime scatent, tantumque plus minus rubrum colorem referunt. Producitur, auctoris ad mentem, ex ficuum opuntiae esu.

4. *Haematuria purulenta* — Nonnisi ob puris cum sanguine mixtionem ab aliis differt.

5. *Haematuria calculosa*, quae, nimirum, calculorum in organis uropojeticis latitantium soboles est.

6. *Haematuria in morbis exanthematicis* occurrens, *variolosa*, *scarlatinosa*, *morbillosa* etc. mali semper ominis e Sydenhamii sententia.

7. *Haematuria ejaculatoria*, quae sanguinis pro semine sub coitu evacuatione efficitur, a vera haematuria longe differens.

8. *Haematuria stillatitia* in qua sanguis guttatim ab urethra effluit; quod sufficit ad eam a vera haematuria discriminandam.

9. *Haematuria haemorrhoidalis* sive *mictus cruentus ex haemorroidibus vesicae* Junkeri.

10. *Haematuria spuria* non a mictu sanguineo sed colore urinarum rubro tantum constituta. Hujus subspecies esset *haematuria lateritia*.

11. *Haematuria nigra*, ex atro sanguinis, qui cum urinis emittitur, colore.

12. *Haematuria catamenialis*, quae quovis mense contingens, menstruorum vices gerit.

13. *Haematuria a transfusione* a Denis in viginti canibus de quinquaginta, quos periculo subjecit, sanguinis transfusione tentatis, observata. Maniacus, qui similem operationem passus erat, idem phoenomenon exhibuit.

14. *Haematuria traumatica*, ab externis causis violenter agentibus genita.

15. *Haematuria a vermibus*, cujus non desunt apud auctores exempla.

*Morbi Hypothiposis.*

Quae mictum cruentum praenunciant aut comitantur symptomata, multimode variant pro sedis, unde sanguineum profluvium venit

diversitate, nec non pro causarum, quae morbum genuere, varietate, pro complicationibus etc. Re quidem vera haematuria haud infrequenter, quin ullus praecedat prodromus, in conspectum prodit; alias vero ponderis et tensionis in hypogastrio vel in renali regione sensus, calor et ardor hisce in partibus, frequentes ad mingendum nisus, cum urinas ejiciendi difficultate, ejusdem adparitionem antecedunt. Renalis potissimum haematuria, si ab externa provenerit causa, quin dolor eam comitetur, in scenam venit: ast haec eadem sanguinis mictio atrocibus interdum doloribus conjungitur, si calculi in renibus latitantis fortuito soboles sit. Non tamen desiderantur exempla vehementis hujus doloris renum regionem torquentis, licet ab alia causa morbus procederit, historiamque tradit celeberrimus J. P. Frank foeminae cujusdam, quae in hunc morbum ex retentis catamenis offenderat, quacque intollerabili ad renes cruciatu angebatur. Hisce porro adduntur caloris et ardoris sensus non modo in praefata renali regione, verum juxta uretherum decursum ad vesicam urinariam usque; adest corporis languor, spasmodica testium retractio, coxarum torpor, abdominis calor et tumefactio, alvi constipatio, aliaque hujusce generis. Ad ure-

tbram quoque et perinoeum, extenditur dolor vesicam versus si haec utpote morbi sedes sit criminanda, et saepenumero permolestus adsociatur priapismus. Dolent praeterea lumbi, anxietas praesto est, respirandi difficultas, nausea, vomitusque oriuntur, febris supervenit, frequentes orteriae micatus edunt, contractaeque tactu percipiuntur, mingendique nsus crebriores adhuc fiunt, permolesti, partua quasi dolores *saepe vani*, ut verbis utar perillustris Johannis Petri Frank, *ac intolerabili, viros praesertim, cruciatu vexantes* (1). Quod si sanguinis profluvium copiam jam excedat, immodicumque evadat, alia atque alia, sicuti in cunctis profusioribus haemorrhagiis contingit, observanda erunt. Hinc extremitatum frigus, cutis pallor cum frigidis sudoribus, animi deliquia, virium prostratio, pulsuum parvitas et similia in conspectum se prodibunt.

Sanguis autem qui cum urinia emittitur in diversis casibus variare solet tum ratione quantitatis, tum modo quo mingitur, denique ob physicos, quibus instruitur characteres. Modo enim pauca quantitate effluit, ad ingentem modo copiam extravasatur, quemadmodum equiti a preclarissimo Van-Swiethen me-

(1) *Epit. de cur. hom. morb. t.* 6. *p.* 228.

morato accidit, qui, haematuria ob diu protractam equitationem derepente correptus, octo sanguinis libras paucis horis fudit. Porro merus rubeque interdum, initio praesertim, emittitur cruor, nonnunquam parva quantitate urinis miscetur, illisque aquae pro pedis venaesectione adhibitae adspectum conciliat; aliquando niger aterque est, atque in grumos cohitur, qui magno saepenumero cum labore ab urethra ejiciuntur, diversamque praebent formam, concretionibus polyposis similes, haud raro longi et tubulosi, vermiumque figuram plus minus perfecte aemulantes; ex quo factum est ut plures, docentibus praestantissimis Ramman et Rage Delorme, pro vermibus reapse ab minus attentis habiti fuerint. Vermiformes istiusmodi concretiones nonnisi aliquot linearum longitudinem, calamique scriptorii magnitudinem generatim attingunt; nihilotamen secius, quamvis perraro id eveniat, ingentem extensionem alias assequantur. Qua de re hic praetereundum non esse videtur exemplum a celeberrimo Boyer memoratum, quodque nos ipsis auctoris verbis hic referendum esse censemus: » Un uomo di cinquanta anni, conosciutissimo a Amsterdam, molto sanguigno e un poco melanconico, avendo avuto una emplegia, da cui erasi benissi-

» mo ristabilito, soggetto da molti anni alla
» renella, e che ne aveva in una volta resa
» un' oncia, fu tutto a un tratto assalito da
» una ritenzione d'orina dopo un violento
» esercizio di corpo. In capo a poco tempo,
» e dopo vivi dolori nell'uretra, uscì da que-
» sto canale un corpo narastro della grossezza
» di una penna d'oca, e della figura di un
» verme. Questo corpo, lungo venti pollici,
» essendo stato estratto pian piano, uscì dal-
» l'orina mescolata con molto sangue. Un
» quarto d'ora dopo ne uscì un altro della
» lunghezza di un' auna. Dopo questo tem-
» po, per quattro giorni e quattro notti,
» uscirono ogni mezz'ora dei simili corpi,
» disuguali in lunghezza, il più lungo dei quali
» era di dodici aune. Egli era molto bruno,
» e diveniva più vivo di colore quando era
» esposto all'aria; la sua superficie ripren-
» deva allora per gradazioni successive il suo
» colore naturale, e lo conservava di poi
» tenuto nello spirito di vino; di più questo
» sangue vi acquistava una grande tenacità.
» Questo era visibilmente sangue a cui l'ure-
» tra avea servito di trafila (1). — Simi-
lem huic casum observavit praelaudatus Swie-

(1) *Instit. chirurg. t. 4. p. 442.*

tenius, sed hujusmodi concretio polyposa pedis longitudinem non exsuperabat.

Nonnunquam sanguinem cum materiebus viscidis, foetentibus, mucosis, puriformibus, nec non arenulis nuptum excerni monendum est. Pariterque silentio non est praetereundum interdum contingere quod praefati grumi in urethrae ductum introducantur, atque exinde ob nimiam molem evacuari nequeant, talique ratione et urinarum exitui insuperabilem ponant obicem. Si hoc evanit, plura inde enascuntur mala: non modo enim urinaria cystis irritatur et ad inflammationis statum perducitur, verum etiam omnis permolestae ischuriae phoenomena praesto sunt.

*Aethiologia.*

Hisce tali modo exaratis, in causas, quae mictum cruentum producendo sunt pares, nobis nunc temporis breviter inquirendum officium est. Atque hic omnium primo commonere oportet causas, quae hanc materiam gignare valent, multiplices admodum esse, et in externas atque internas, nec non in disponentas et occasionales recte distinguendas.

Sexus potior, aetas adulta vel senilis, robustior corporis constitutio, temperamentum

sanguineum, victus lautior, vita segnes dispositionem in baematuriam largiuntur. Frequentius porro in eam incidunt personae calculo renali, aut vesicali laborantes, nec non arthritidi et podagrae proclives. Quicumque organorum uropojeticorum praegressus morbus, potissimum vero cystitis et nephritis ad altiorem evectae gradum profluvii, de quo disserimus, in causa fieri queunt. Sanguis copia aut acrimonia peccans, scorbutica ejus dissolutio, ejusdem in pluribus febribus malae indolis colliquatio utpote eundem effectum progignendo pares a praestantissimo Vogelio criminantur. Maximamque ad eum producendum habitualium secretionum, menstruorum potissimum, haemorrhoidumque suppressionem symbolam conferre omnes testantur medicinae scriptores. Ulcera et arrosio vesicae, ejusdem visceris fungus, scirrhus, cancer, varices, vulnera, eodem in censu memoranda veniunt. Neque praetereunda est in calidioribus locis habitatio, qua de causa haematuriam in militibus Gallis Aegyptum petentibus obvenisse tradit Rénault. Pluries in infantibus mictum sanguineum ex fasciis arctioribus observasse testatur, celeberrimus Boerhavius, qui strictiores vestes ad adultorum haematuriam producendam conferre pariter

docet. Ast nihil in hujusce morbi productione, majorem, praestantissimo Hoffmanno monente, spartam sibi vindicat quam violentior motus et equitatio, qua de re sequentia exponit perillustris Hollerius : » Sunt nonnulli, qui si diu» rius equitant aut se se exercent immodera» tius, ex calefactis renibus sanguinem me» junt (1)«. Et Riverius hominis quinquaginta annos nati mentionem habet, qui quoties equitationi indulgebat, mictum cruentum experiebatur (2). Praelaudatus Hoffmannus ex vertebrarum subluxatione semel, et semel ex tibiae fractura haematuriam enatam observasse testatur (3), nec artuum amputationibus alienam esse omnes in unum consentiunt. Ictus porro lumborum regioni, hypogastrio, et perinoeo illati, nisus ad ponderosiora corpora elevanda, partus conatus, vomitus violentus aliaque similia inter haematuriae causas recensenda quoque sunt. Remediorum quae in diuretica aut emmenagoga virtute pollere feruntur, si ex acriorum classe depromantur, usus, ejusdem generis purgantia, cantharides, nonnullorum ad mentem, externe etiam adpli-

(1) *In aphor. Hippocr.* 78. *sect. IV.*
(2) *Cent.* 2. *obs.* 36.
(3) *Med. rat. systam. t.* 4. *p. II. p.* 70.

citaa, tormina ventris, allium coepa magna quantitate aesum, gastatio, animi excandescentia aliaque plura eandem morbum portendere valent. Post commotionem, dum curru vehebatur, perpessam in haematuriam per annum maximis cum cruciatibus duraturam ostendit perillustris Hahnius. Praelaudatus Frank juvenis historiam refert, qui haematuria corripiebatur ex eo quod balsamum paruvianum s umpsisset *cioccolattae*, ludeodi causa, immissum. Ex repulsa scabie ortum sanguineum hoc profluvium vidit Hoffmannus, qui illud effraenatam venerem, liquorumque alcoolicorum abusum consequi praecipit. Ast denique obliviscendum non est a vermibus etiam in urinariis viis latitantibus haemorrhagiam, de qua sermonem habemus, prosilire posse, quemadmodum testator Vogelius, et a Trilleri, Bianchi, Boneti, Mangeti, et Pallas observationibus comprobatur.

*Morbi Divinatio.*

» Magnitudo periculi in hoc morbo, in» quit praeclarissimus Burserius (1), ex san» guinis effusi copia, ex continuatione aut re-

(1) *Inst. med. pract. t.* 4 *p.* 444.

» cursu, ex symptomatibus aut morbis conjun-
» ctis, ac demum ex partis affectae ratione
» aestimatur. «. Quae quum ita sint, in haematuriae prognosi pronuncianda ad haec omnia momenta attendendum erit. Quapropter quotiescumque sanguis, qui cum urinis mingitur, parva sit quantitate, atque ex causa lavidensi aut facili negotio amovenda processerit, faustum morbi exitum attendere licebit. Minor e converso erit sanationis spes si oppositae in praesens habeantur circumstantiae, vel si sanguinis profluvium, licet pauca quantitate constitutum, frequenter redeat, aut pejus si iuceasanter continuat. Symptomata morbum concomitantia suam quoque sibi vindicant symbolam ad haematuriae prognosim rite proferendam; hocque sub adspectu malum sanatu facilius erit si levioribus symptomatibus comitetur, et a converso. Si protopathicis sit morbus, simplex, nullamque aliam morbosam adfectionem comitem habeat, facilius reconvalescet quam si aliorum organorum affectionibus complicetur.

Verum de haematuriae divinatione locuturi silentio praeterire non possumus nonnumquam illam fausto quidem omine, cum aegrorum nempe emolumento obveuire. »Qui a ple-
» thora inducitur fluxus sanguinis per urinas,

„ inquit Riverius (1), non semper morbosus „ est, aut symptomaticus: sed interdum con- „ tingit bonis aegri rebus, natura onus super- „ fluum per illas vias deponente, sicut refert „ Arethaeus, nonnullos per quosdam circuitus „ sanguinem mingere, eoque circuitu cessante, „ capitis dolores, oculorum caligines et verti- „ gines excitari«. Atque hujuscemodi salutaris, ut ita dicam, haematuriae plures ab auctoribus observationes referuntur, et potissimum ab Hoffmanno, qui ait: » Vidimus nos talem „ criticam mictionem liberaliorem in viris, „ sanguine abundantibus, sive plethoricis, vi- „ rilis vel etiam senilis aetatis, suppresso, vel „ etiam penitus cessante haemorrhoidali fluxu, „ aut consueta omissa sanguinis missione, pe- „ riculi tamen prorsus expertem. Vidimus quo- „ que in foeminis octogenariis vegetis, et „ laute adhuc viventibus, praesertim si, ces- „ santibus mensibus, sanguinis missio vel fue- „ rat neglecta, aut plane omissa (2)«.

Reticendum tamen non est hoc quoque criticum sanguinis per urinarias vias profluvium periculo non semper vacare, si emissi sanguinis copia excedat, vel pluries et fre-

(1) *Op. med. omn. p.* 325.
(2) *Med. syst. rat. t. IV. p. II. p.* 68.

quenter nimis recurrat. Quamobrem recte admonet praelaudatus Hoffmannus: »Omnis vero » cruentus mictus est periculi non expers«.

Quin tamen critica sit haematuria, quamvis semper medici attentionem mereatur, minus periculi portendere queit si absque febri et doloribus incedat, atque in urinaria vesica sedem habeat. Plus e contra discriminis affert quae in externis violentiis causam agnoscit, quae a renum adfectione provenit, quae materiam purulentam cum sanguine fundit. A vermibus orta, hisce a vesica extrusis sanatur. Idem de illa quae a calculis fit, repetere decet. Aleae plenissima est quae a renum vel vesicae ulcerationibus substinetur. » Copiosa vel frequens sanguinis per urinas « evacuatio valde periculosa », inquit Rive» rius (1), potest enim in tabem et hydro» pem aegrotantem conducere «.

Quae in febribus, sic dictis, putridis, in variolis, in morbillis contingit, periculosissima esse consuevit. Si in variolis, maculis lividis in cute apparentibus, haematuria supervenit, de aegro, teste Sauvagesio, actum est. Sicuti pessimi ominis indicium in peste Nimegensi haematuriam observavit Diemerbroekius. Si in

(1) *Op. cit. p.* 327.

vesica colligitur sanguis, res periculi plenissima est.

*Haematuriae Therapia.*

*Sanguinis missione nihil tutius et praestabilius* esse in mictus cruenti curatione fert jam pluries laudati Hoffmanni sententia, et hoc reapse princeps sistit auxilium in hoc morbo generatim adhibendum. Sanguinis autem educendi quantitas pro circumstantiarum diversitate variare debet, atque aegrotantis aetati, constitutioni, sexui, temperamento, morbi gradui etc. adaptari. Idem suadere oportet relate ad ipsius repetendae convenientiam. Praeter venaesectionem autem hujus morbi curationi maxime prodesse solent cucurbitulae profundius incisae, lumbis aut abdomini admotae, nec non hyrudinum adplicatio ad hypogastrium, ad perinoeum, et, ubi suppressus haemorrhoidalis fluxus morbi in causa sit, praeprimis ad vasa haemorrhoidalia: quo in casu et saphaenam secare convenit.

Post sanguinis evacuationes purgantia laniora, e regno potissimum vegetabili deprompta, quammaxime contra haematuriam usu veniunt, quemadmodum etiam potus aciduli et refrigerantes, nec non clysmata emollientia

frequenter injecta, similesque fomentationes abdomini vel perinoeo impositae, et balnea universalia tepidula. Quod si nihilotamensecius profluvium continuet, et aegrotantis vires jam languere incipiant, sive ob effusi sanguinis copiam, sive ob morbi diuturnitatem, tunc frigida fomenta, nec non ipsam glaciem abdomini, lumbis, perinoeo, et superiori coxarum plagae superimponere oportebit, frigidi ex aqua gelida et aceto clysteres erunt injiciendi, frigidaeque atque adstringentes in vesicam injectiones peragendae. Monendum tamen est, nonnisi magna cum cautela hujusmodi auxilia usurpanda esse; perrari enim, Raige-Delorme docente, sunt casus, in quibus ipsis uti necesse sit.

Si autem jam adoleverit morbus, et frequenter sit recidivus, vel in chronicum decursum nitatur, aegrotique vires labefactari videntur, tunc haemorrhagia urinaria cohibenda erit, ad quem assequendum scopum plura atque plura passim suadentur. Emplastrum ex ranarum spermate, alumini, saturni saccharo, camphoraeque commixto, at lumbari regioni admotum, nec non epithema ex ovorum albumine cum alumine subacto, pubique frigidum impositum ab Hoffmanno laudibus extolluntur. Clysmata iterum de alumine, vel *fungo mal-*

*tensi*, vel de aqua acido sulphurico acidulata, vel aqua vulneraria romana, aut urticarum succo vel decocto composita a Monteggia commendantur. Hedera terrestris, gummi-kino, sanguis draconis equidem proponuntur. Infusum florum arnicae, ubi morbus ab ictu vel contusione prosiliat, maxime conferre dicitur. Succus plantaginis, decoctum centinodiae, portulacae, summitatum rubi, addito granatorum vel cydoniorum succo, a nonnullis probantur. Pulveres Doweri, digitalis, cortex peruvianus, vinum Milmanni antiscorbuticum, aliaque ejusdem generis apta ratione suppeditata maximas, subjectis praesertim scorbuto laborantibus, suppetias afferre queunt.

Diximus superius, sanguinem in vesica effusum in grumos coire posse, atque hac de causa cystim magis magisque irritare, novamque ponere morbi causam, vel in urethram compelli, et pergravem ischuriam gignere. Si hoc, infausto quidem omine, contingat, magnus in vesicam immittendus est catheter, ex quo sanguis una cum urinis fluere queat. Quod si hoc minime sufficiat, injectiones aquae tepidae sunt peragendae, ut sanguis effusus diluatur, solvatur, illiusque exitus facilior evadat. Verum neque hoc semper ad scopum assequendum sat est; quandoque enim urget

necessitas siphonem in urethram immitti, et sanguinem per ipsum, afflato aere, educare.

Hisce expositis, superest ut quid relate ad regimen diaeteticum sit necessarium, tradamus. Hinc admonebimus maximam omnium primo animi et corporis quietem servandam esse, alimentis parcis, parum nutrientibus, facile digerendis utandum, potibus emollientibus, refrigerantibus indulgendum. Quibus omnibus denique addere oportet, lactis maximeque ovilli usum magni momenti in hujus morbi curatione esse, ex quo uno auxilio et bolo armeno plures sanationes obtinuisse testantur Gattinaria, Hollerius, Duretus, et Forestus, qui obs. 13 l. 4 inquit: Saepe sanguinis mictum solo lacte ovilli, nempe administrando uncias quatuor lactis, et drachmam unam boli armeni veri curavi. »

FINIS.

## THESES DEFENDENDAE.

I.

Morbos nonnullos ad longaevitatem conferre.

II.

Inflammationem asthenicam non dari.

III.

Mulieres menstruis carentes non semper steriles.

IV.

Emmenagoga contrarium illi ad quem assequendum praescribuntur, effectum saepe gignere.

V.

Lochiorum retentionis caussam non semper in utero latere.

VI.

Cum sanguinis detractione sanguinis fluxus saepe coaercetur.

VII.

Usus aromaticorum et spirituosorum apud plebem vulgaris, in enteralgiis saepissime nocet.